

nam non sunt solae arbitratae haec; ego quoque etiam  
credidi.

nunc quam ego te esse praeter nostram opinionem comperi,  
fac eadem ut sis porro: nostra utere amicitia ut voles.

aliter si facies—reprimam me ne aegre quicquam ex me 765  
audias.

40 verum hoc moneo unum, qualis sim amicus aut quid possiem  
potiu' quam inimicus, periculum facias.

ii PHIDIPPVS LACHES BACCHIS

*PH.* Nil apud me tibi  
defieri patiar, quin quod opu' sit benigne praebeatur.

sed quom tu satura atque ebria eri', puer ut satur sit facito.

*LA.* noster socer, video, venit: puero nutricem adducit. 770

5 Phidippe, Bacchis deierat persancte . . . *PH.* haecin east?

*LA.* haec est.

*PH.* nec pol istae metuont deos neque eas respicere deos  
opinor.

*BA.* ancillas dedo: quolubet cruciatu per me exquire.

haec res hic agitur: Pamphilo me facere ut redeat uxor  
oportet: quod si perficio non paenitet me famae, 775

10 solam fecisse id quod aliae meretrices facere fugitant.

*LA.* Phidippe, nostras mulieres suspectas fuisse falso  
nobis in re ipsa invenimus: porro hanc nunc experiamur.

nam si compererit crimini tua se uxor credidisse,

missam iram faciet; sin autem est ob eam rem iratu' gnatus 780